



**R. P. D. Thomæ Delbene Marvbiensis, Clerici Regvlaris,
Sacrae Theologiae Professoris ... De Immvnitae, Et
Ivrisdictione Ecclesiastica**

Bene, Thomas del

Lugduni, 1674

x. An gaudeat quis, si praestio iuramento de redeundo in carcerem, se
recipiat ad Ecclesiam?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98676](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98676)

num. 33. Sarpum de iure Affylorum, cap. 5. fol. 54. Cutellium de immunitat. Eccles. lib. 1. quest. 25. num. 8. & quest. 40. per totam, Gamma decif. 362. & Villadieg. in Polit. cap. 3. num. 215. (qui tamen admittunt, quod talis cogi solum debeat redire ad remigandum ad tempus prius statutum, non item ad sustinendam ob fugam poenam aliam, cum huius remissio prius quam iudici seculari tradatur, ab Episcopo, vel Ecclesiae Praeposito obtineri debeat) docent Pereira de manu Regia, part. 2. cap. 50. num. 17. Ludouicus Correa in relect. ad cap. inter alia, de immunit. Eccles. part. 3. quest. 4. num. 9. Antonius de Marinis quotid. resolut. cap. 177. num. 2. Trullench. in Decalog. tomo 1. lib. 1. cap. 11. dub. 3. num. 29. Nouarius in Summa Bullarum, tit. de immunit. Eccles. num. 27. Diana part. 1. tract. 1. resol. 40. & Lezana verb. Immunitas, num. 16. Giurba in consil. crimin. consil. 30. num. 21. ex eo, quia Ecclesia reddit delinquentem securum à poena, non solum infligenda, sed etiam inflicta; sicuti pluries fuisse decilum in cit. consil. 30. testatur, & colligitur ex cap. id constitutum, quest. 12. ibi: Et ab omni poenarum genere sint securi.

Hinc opinio distinguendum (quod, si reus, qui è trirremibus ad Ecclesiam confugit, sit loco depositi ibi condemnatus, vel certam habeat condemnationem, sed sit reclamatum, & pendeat reclamatio, vel compleuerit tempus, sed ibi generalem expectando libertatem detineatur, in his casibus immunitate gaudet: si verò certam habeat condemnationem, de qua non pendeat appellatio, vel pro delictis commissis deferuire ibi concordauerit, & tempus deferuendi nondum compleuerit, in his casibus immunitate non gaudeat, quia poenae seruus effectus sit, & sic tempus deferuendi complere debeat) mihi non probatur, tum ob rationes dictas, tum etiam, quia hodie per condemnationem huiusmodi, vel ad quodcumque aliud opus publicum, etiam in perpetuum, seruus poenae quis non efficitur, iuxta textum in Authent. sed hodie, Cod. de donat. inter vir. & vxor. Excepto casu, si ad mortem sit condemnatus, vt patet ex l. qui ultimo, ff. de panis. Adde, quod etiam si ad mortem sit condemnatus, licet seruus poenae efficiatur, si tamen, quando ducitur ad supplicium, ad Ecclesiam confugit, immunitate gaudet, vt communiter docent Doctores: ergo gaudere etiam debebit in omni alio casu (nisi ad trirremes condemnatus sit pro crimine excepto, ratione cuius immunitate quidem priuatur, vt rectè dixit Cutellius loco supra cit. numero 10. & in simili Gambacurta lib. 4. cap. 19. num. 20.) & multò magis, si condemnatus fuerit ad vapulandum, vt rectè notarunt Pereyra, & Correa in locis supra cit. dub. 24. sect. 17.

Obiicies ex Cutellio loco cit. Si seruus fugiat ad Ecclesiam, non liberat se à potestate domini: ergo nec Reus, qui per crimen, maximè accedente sententia, sit seruus publicus, & seruus poenae, liberabit se à potestate iudicis, & Iustitiae.

Respondetur, disparitas est, quia seruus, qui fugit à domino ad Ecclesiam, non est reus alicuius criminis, vt suppono; & idè si ad Ecclesiam fugiat, ab Ecclesia non defenditur, cum eius dominium, & possessio sit apud dominum, vt patet ex cap. inter alia, §. si verò, de immunit. & ex l. praesenti, §. fin. Cod. de his, qui ad Eccles. confugiunt. At non ita est in casu nostro, cum damnatus ad trirremes sit verè reus (sicut & miles, qui per fugam militiam deserit) & propter sententiam latam, & poenam inflictam contra ipsum non desinat esse reus. Adde, quod (vt supra dicebam ex Auth. sed hodie, & notat Correa in relect. de immunit. part. 2. n. 9.) nemo hodie etiam per condemnationem ad opus publicum in perpetuum, poenae seruus efficitur.

Thom. Delbene, de Immunit. Eccl. Pars II.

Obiicies secundò ex eodem Cutellio: Canones impertiuntur reis non totalem, sed solum vitæ, & membrorum immunitatem, qua à Prelato Ecclesiae obtenta, iudici seculari eos tradi volunt, ex cap. id constitutum, §. c. inter alia, quest. 12. ergo.

Respondetur: nego antecedens, qua de re vide infra dub. 31. 37. & 39.

Caterum an, si qui confugit ad Ecclesiam è trirremibus, ibi non ex sententia, sed ex locatione, & conductione addictus erat, gaudere etiam debeat immunitate.

Negat probabiliter Cutellius num. 17. quia tali nec poenae, nec rei confugientis definitio conuenit; quin talis contineri videtur sub dispositione c. metuentes, 17. quest. 4. & l. praesenti, §. fin. C. de his, qui ad Eccles. confug. vbi de famulis cauetur, quod ad praestanda seruitia cogi debeant: ergo, &c. Excipitur tamen nisi cogeretur redire ad remigandum transacto conductionis tempore; quia tunc ille, cum transierit tale tempus, non amplius famulus, vel adscripticius dici potest, sic Cutell. 15. Vide etiam Barbofam de iure Eccles. tom. 2. c. 3. num. 33.

Affirmat autem, & probabiliter etiam, simpliciter Giurba, iuxta ea, quae dicuntur infra, dub. 11.

SECTIO X.

An gaudeat quis, si praestito iuramento de redeundo in carcerem, se recipiat ad Ecclesiam?

SVMMARIVM.

- 1 Carceratus, si praestito iuramento Custodi de redeundo inde confugiat ad Ecclesiam, gaudet immunitate.
- 2 Amplia procedere non solum in carceratione iniusta, veram etiam iusta.
- 3 Peritrium, cum non sit vnum de criminibus exceptis, non tollit Ecclesiae immunitatem.
- 4 Iuramenti relaxatione impetrata, cessat Peritrium.
- 5 Reus qui praestito Iuramento de redeundo ad carcerem, si nolit redire, sed se in Ecclesia defendere, potest Prelatus concedere facultatem, vt habita locatione de impunitate poenae corporalis, ab Ecclesia extrahatur, seu si adsit periculum poenae mortis.

Sequitur quartò, quod etiam gaudeat, si praestito iuramento Custodi carceris de redeundo in carcerem, ad Ecclesiam confugiat. Quod verum est non solum, si carceratio erat iniusta (in quo omnes conueniunt) sed etiam, si erat iusta, & sine rei mortis periculo, quia peritrium (cum non sit vnum de criminibus exceptis, vt dicitur infra dub. 24. sect. 12.) non tollit immunitatem Ecclesiae, & ex alio capite, vt suppono, non erat carceratus pro crimine excepto. Adde, quod forsitan impetrari poterit relaxatio iuramenti, & sic cessabit peritrium. Atque ita ex communi docent Abbas in cit. cap. inter alia, Sylu. verb. Immunitas 3. quest. 3. Angel. §. 19. Couar. 2. var. cap. 20. num. 13. Suarez cap. 11. numero 18. Layman lib. 4. tract. 9. cap. 3. num. 9. Fatinacius in append. de immunit. cap. 15. num. 200. & de carceribus, quest. 28. num. 43. Diana part. 3. tract. 1. resol. 37. Ambrosin. cap. 10. num. 12. & Fagundez 2. part. de preceptis Ecclesiae, lib. 4. cap. 4. num. 58. contra Decianum tract. crimin. lib. 6. cap. 28. num. 21. Cutellium de immunitat. Eccles. lib. 1. quest. 19. num. 4. & seqq. Peregrinum de Immunit. cap. 5. num. 10. Azorium 2. part. lib. 9. cap. 9. vers. quid dicendum, & nonnullos alios apud Couar. & Suar. in locis supra cit.

C 3. Caterum

Cæterum, quod subdit Fagundez loco citat. & docent etiam Couarrun. Syluester, Layman Cutellius, & Suarez *ubi supra* (nempe, quod si reus in tali casu iuste detentus, ad carcerem nolit redire, possit Prælatus concedere facultatem, ut habita cautione de impunitate poenæ corporalis, ab Ecclesia extrahatur; quamvis secus, si talis poenæ morale periculum subesset (mihi cum Gambacurta *lib. 4. cap. 25. num. 20.* non probatur) saltem si custodi carcerum ex tali rei fuga periculum mortis non immineat; quia talis traditio privilegium immunitatis simpliciter (exceptis casibus in iure expressis) reo concessum destrueret. Accedit, quod Gregorius XIV. in sui Constitutione prohibet extractionem fieri, etiam pro quavis pace, & causa: Neque inde fit (ut obiciunt Aduersarij) quod Ecclesia faueat delicto, sed quod faueat delinquenti, ob delictum commissum; præsertim, quia talis non peccat formaliter, quia est in Ecclesia, sed solum quia non reddit, siue sit in Ecclesia, siue alibi, quod materialiter, & impertinenter se habet ad peccatum. Et ex alio capite custos carcerum sibi imputet, si non didicerit cautius agere, sicuti debebat.

SECTIO XI.

An gaudeat clericus comparatiue ad Iudices sæculares.

SUMMARIUM.

- 1 Clericus etiam comparatiue ad Iudices sæculares gaudet immunitate, siue sub sit eorum iurisdictioni, siue non.
- 2 Clericus non debet esse deterioris conditionis, quam laicus.
- 3 Clericus, si non seruet requisita Tridentini, priuatur privilegio personali, non autem locali.

Respondetur, quod gaudeat etiam clericus (si loquamur comparatiue ad Iudices sæculares) siue eorum iurisdictioni non subdatur (quod est certum) siue etiam, si ex defectu alicuius requisiti, subdatur, quia tunc clericus reputatur tanquam laicus, atque adeo non habet esse deterioris conditionis, quam laicus: quapropter licet in tali casu priuetur privilegio personali clericorum, non tamen priuatur privilegio locali sacrorum locorum, iure communi generaliter concessio, etiam laicis. Atque ita ex communi sententia Doctorum docent Nauarrus *cap. 25. num. 12.* Suarez *lib. 3. cap. 10. num. 7.* Genuensis *in praxi, cap. 22. num. 11.* Bonacina *de immunitate quest. 7. §. 3. num. 6.* Filliucius *tract. 15. cap. 6. quest. 8. num. 151.* Gambacurta *lib. 4. cap. 11.* Farinac. *de carceribus, quest. 28. num. 7. & in append. cap. 2. num. 34. & seqq.* Germon. *de sacr. immunit. lib. 3. cap. 26. num. 90. & seqq.* Mar. Italia *lib. 1. cap. 3. §. 1.* Sacra Congregatio Cardinalium, teste Farinacio *citat. capite 2. numero 36. ad fin.* & alij contra nonnullos apud citatos Doctores, præsertim Farinacium *citat. num. 36.* Vide *infra sect. 14.*

SECTIO XII.

An clericus, qui non subditur iurisdictioni Iudicum sæcularium, sed Ecclesiasticorum, gaudeat comparatiue ad Iudices Ecclesiasticos, non quidem in casibus exceptis (in quibus certum est, quod non gaudeat, quia nullibi reperitur hoc speciale privilegium, & pro eis personali quoque per degradationem immunitate exuuntur, uti docent ex communi Suarez *lib. 3. de religion. cap. 10. num. 7.* Farinacius *de carceribus, quest. 28. num. 8. & append. de immunit. Eccles. num. 35.* Barbosa *tom. 2. de iure Eccles. cap. 3. num. 45. vers. Et multo magis*, & Cutellius *de immunit. Eccles. lib. 1. quest. 20. num. 11. & quest. 23. num. 25.* contra Bernardum Diaz *præf. cap. 123. in fin.*) sed in casibus non exceptis?

SUMMARIUM.

- 1 Clericus, qui non subditur iurisdictioni Iudicum sæcularium, sed Ecclesiasticorum, non gaudet immunitate Ecclesia comparatiue ad Iudices Ecclesiasticos.
- 2 Immunitas Ecclesia non derogat Potestati Ecclesiasticæ, sicut derogat Potestati Laici.
- 3 Sententia Ecclesiastica contra delinquentem ferri potest in Ecclesia, secus si sit Laicalis.
- Prælatus Ecclesiasticus potest exercere iurisdictionem suam in locis sacris.
- 4 Immunitas personalis debita Clericis non impedit eorum punitionem a Iudice Ecclesiastico.
- 5 Immunitas personalis est maior quam Ecclesiarum asylum, cum Clerici sint Dei templum vivum.
- 6 Iudex Ecclesiasticus citra ullam Ecclesia violationem, potest punire suos subditos Clericos.
- 7 Immunitas Ecclesia ladiuntur quando contra eius Prælati voluntatem, delinquens ibi existens extrahitur.
- 8 Clericus cum extrahitur a Iudice Ecclesiastico, ex voluntate Ecclesie extrahi dicitur.
- 9 Iniuria facta Ecclesia censetur facta Prælato, & e contra.
- 10 Iudex Ecclesiasticus maiorem potestatem habet in Ecclesia, ex qua reus extrahitur, quam Iudex sæcularis.
- 11 In iudicio Ecclesiastico non ita seuerè agitur ad corporis poenam, & publicam vindictam, ad quam euitandam introducta est Immunitas Ecclesiarum, sicuti in sæculari.
- 12 Immunitas Ecclesiarum propriè tantum introducta videtur comparatiue ad Iudices sæculares (quominus scilicet reos ab Ecclesia extrahere possint) non item comparatiue ad Iudices Ecclesiasticos.
- 13 Clericis delinquentis ab Ecclesia extractio Ecclesia nec dedecus, nec irreuerentiam gignit.
- 14 Prælatus Ecclesiasticus tenetur defendere loci sacri immunitatem, cuius est Ordinarius.
- 15 Clericus si ob delicta non posset extrahi ab Ecclesia a suo Prælato, ratio puniretur.
- 16 Constitutio Gregoriana, que reducit antiquos Canones ad unam formam, mentionem facit de laicis, & non de Clericis.
- 17 Ex assumptione opposita Speciei, alterius remotio sequitur.